



**Arnoldi Corvini â Belderen, Batavi, Jcti quondam  
Consummatissimi, Consilarii Electoralis & Professoris  
Moguntini Publici, &c. Tractatus Geminus De Personis  
Atque Beneficiis Ecclesiasticis Sive ...**

opus posthumum, diu desideratum, nunc demum excusum, & indice  
locupletissimo instructum

De personis ecclesiasticis

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Francofurti ad Moenum, 1708**

**VD18 10184902**

De Privilegiis in genere. Tit. 21

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62002)

legimi debent. Nam tunc, si accusatus excipere contra testes velit, potest; potest & petere probationum copias, & omnibus defensionum remediis uti: *Hostiens. d. loco.* Pana etiam, non arbitraria, sed ordinaria & à jure statuta, hoc casu puniri debet delinquens. *d. c. qual. rer.* Licet hoc tempore judici sint pœna omnes arbitraria, & omnes pro delictorum & locorum circumstantiis moderari possint. *Hostiens. in sum. de penit. num. 6. Boer. decis. 289. num. 7.* Potest etiam hoc casu, reus de fuga suspectus, interim dum processus formatur, detineri sub custodia. *d. Conc. Trid. sess. 25. de reform. cap. 6.* Potest, ut suspectus, accusari iudex: Ab eo licitè appellatur: appellatione non tantum devolutiva, sed & suspensiva: & tum non procedit *d. Conc. Trident. sess. 24. cap. 10. dispositio.* Appellatione enim correctionis morum, correctio, quæ servato judiciali processu fit, non intelligitur. *Genues. in praxi. cap. 21. Piasec. d. loc. num. 61.*

TITULUS XXI.

De Privilegiis in genere.

SUMMARIA.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Continuatio.                              | 8. <i>Et qualia.</i>  |
| 2. Privilegium in genere quid.               | 9. <i>Secundum Zæsum.</i>   |
| 3. Distinguitur à Lege.                      | 10. <i>Personale quale.</i>   |
| 4. Illud allegans probare debet.             | 11. <i>Reale quale.</i>   |
| 5. An scriptura de ejus substantia.          | 12. <i>Quid si dubium, utrum privilegium sit personale, an reale; cum seq. num. 12.</i> |
| 6. Quomodo probari potest.                   | 13. <i>Rursus privilegium est vel Perpetuum vel Temporale. Et qua.</i>                  |
| 7. Privilegia quotuplicia secundum Cujacium; | 14. <i>Qui</i>  |

Mm mm 2

ius  
sonis  
Ecclesie  
IV.  
Z

14. *Qui privilegia concedere possint.*
15. *Quis in terris Ecclesiast.*
16. *Consuetudine an acquiri possint.*
17. *Quibus conceduntur.*
18. *Non debent repugnare iustitia & honestati.*
19. *Eorum forma in procedendo servanda.*
20. *Quando inserenda Clausula, Non obstante.*
21. *Accipienda strictè, ut & interpretanda.*
22. *Privilegio absolute concessio, an ubiq; uti privilegiatus possit.*
23. *In usu privilegii turbandus nullus.*
24. *Privilegia concessa quando sortiantur effectum.*
25. *Privilegiati si concurrant, quid.*
26. *Privilegio quando quis renunciare potest.*
27. *Privilegia amittuntur morte privilegiati non privilegiantis.*
28. *Lapsu temporis ei constituti.*
29. *Causa cessante.*
30. *Adjecto modo & conditione.*
31. *Renuntiatione.*
32. *Abusu.*
33. *Revocatione. Expressa: Tacita.*
34. *Quando hac.*
35. *Destructione Loci corporis, cui competit quando.*
36. *Innovatio privilegii nihil tribuit novi.*



**P**erici, vite honestatem servantes, variis gaudet privilegiis: de quibus tractabimus; premisso tamen, quae dicturi sumus intelligantur melius, titulo generali, Privilegiis.

CORV  
De Person  
et Benefic

G

*Privilegium* nihil aliud est, quam jus privum, sive privatum, ut dicit Festus, quod favore speciali quorundam conditum est. *can. privilegia. dist. 3. Tullius lib. 3. de Legib. & Orat. pro Sexto. Majores, inquit, in privatos ferri noluerunt, id enim est privilegium.* Lex enim XII. Tabularum aiebat: *Privilegia nē irroganto:* Quia scilicet jura non in singulas personas, sed *universis*, & generaliter constitui debent. *l. jura. §. ff. de legib.*

*Leges* verò sunt rogationes, quas populus in omnes homines, nec omnes scivit, aut jussit: *Privilegia* ita sunt privata, ut communia omnibus esse non possint: *can. hinc est. 16. qu. 1. & quæcunque non sunt communia, sunt privilegia; & prærogativa, seu prærogationes, id est, rogationes præter ordinem lata: Asconius 2. in Verrem. prærogativas, & προνομίας* vocant Glossæ veteres: Hoc jure sunt dispensationes, exemptiones, quæ citra ordinem juris, & communes Ecclesiæ regulas conceduntur. *c. in causis. de sent. excom. Canon. quod pro re. 1. qu. 7. inquit; Aliud est ordo legitimus, aliud quod usurpatio ad præsumens tempus fieri impellit.*

Ut quis privilegio uti possit, debet illud docere, sive per scripturam, sive per alia documenta legitima. *can. contra morem dist. 100.*

Cum enim sint legum relaxationes, eoque nomine odiosa, adeoque talia restringenda, *c. odio. de reg. jur. in 6. diligenter eorum tenor debet inspicere, c. porro. 7. hic. & quod verbis comprehensum non est, legi relictum censetur. c. sanè. eod.*

Ex quibus videtur nonnullis inferendum esse, quod *scriptura* de eorum sit substantia. Quod tamen negandum, cum sint *Leges* quædam, quæ scriptura non indigent, & nullum sit jus positivum scripturam requirens; imò dispensationes aliaque gratiæ concedi possint sine scriptis. *Navar. conf. 1. hic. & conf. 22. de clandest. dispens. Quo fitur. can. institutiones. 25. qu. 2. Clem. dudum. §. nos etenim. & ibi Gloss. verb. verbo. de sepult. ubi dicitur; privilegia, gratias, indulgentias, verbo vel scripto concessa.* Idem habetur in *Extrav. Etsi dominici. fin. de pan. & remiss.* cum verbum non sit minus efficax, quàm scriptura, & ex eo non minus declaretur Pontificis voluntas, quàm ex scripto.

*Probationis* tamen gratia *scriptura* requiritur. *Vallens. in par. 6. hic.*

Mm m m 3

INUS  
SONIS  
Ecclesiæ

IV.  
Z

hic. §. 1. num. 5. cum privilegium verbis concessum non sit tam perme-  
nens, & nec facile, asserenti in propria causa illud sibi concessum, sit  
credendum.

Potest tamen etiam probari per testes: qui etiam audiuntur de vi-  
sis privilegii instrumentis, eorumque tenore, & quod fuerint sine vi-  
tio, *Vallens. d. loco num. 3. vers. quodst. deponentes: sec. form. in c.*  
*sum olim. 14. hic.*

Unde certo sciens, verbo sibi esse privilegium concessum, secun-  
dum illud agens, in foro conscientiae est tutus. *Zaf. in comm. ad h. l.*  
*num. 4.*

7 *Privilegia* autem, secundum Cujacium *observ. lib. 8. cap. 11.*  
alia sunt merè *Personalia*, quae personam non transgrediuntur, quae  
non praedicantur de pluribus, & praesens tantum tempus respiciunt,  
& sunt *gratiae personales*. Ut in *c. constitutus. de concess. praebend. in c. man-*  
*data. de praesumption.* Alia sunt *Personalia* indefinitè, quae nec certam nec  
definitam personam habent, nec tantum praesens, sed & futurae  
tempus respiciunt, & ad omnes ejusdem conditionis personas exten-  
duntur, & licet contra communes juris regulas pugnent, tamen par-  
tem faciunt Juris Singularis; ut *privilegia Clericorum*. De quibus postea  
hoc titulo ex professo. Alia sunt *Realia*, seu *Localia*, ut quae civi-  
tati, vel Provinciae conceduntur: *can. quadam. §. quod scripti. 21.*  
*qu. 3. vel uni Ecclesiae aut Monasterio. can. hinc est. 16. qu. 1.* Alia  
praeterea *privilegia personalia*, quae ad cives pertinent universos, & licet  
non sint generalia, partem tamen juris certam & immutabilem  
efficiunt, quam Jurisconsulti vocant *Jus Singulare*: veluti *privilegia*  
*mulierum pro dote, pupillorum nautica pecunia, libertatis*; De quibus  
non hoc, sed aliis titulis agitur specialiter.

8 Secundum *Zacium d. loc. num. 5.* privilegia hic alia sunt *Realia*  
alia *Personalia*. *fac. d. c. mandata. de praesumpt. in verbis, non loco tribu-*  
*mus, sed personae. & l. privilegia. 196. ff. de div. reg. jur. ubi privilegia*  
*quaedam dicuntur esse causa, quaedam personae.*

Nec infringit divisionem hanc, quod omne privilegium revo-  
catur ultimò ad usum & utilitatem alicujus personae; quia ut leges,  
& privilegia non feruntur, nisi propter commoditatem hominum, non

CORV  
De Per  
et Benef

G

non semper immediatè attribuantur persona, sed & ipsi rei vel causæ.

Ut *personale* sit, quod immediatè fertur in personam, ratione sui, eique adhæret; sive sit persona particularis, sive genus personarum; Cujusmodi est Senatus consultum Vellejanum, competens mulieribus intercedentibus, ratione sexus: Macedonianum filiis familias mutuum accipientibus, ratione ætatis. Solis enim personis, & quidem singulis concessum non ratione communitatis aut corporis mylici, quod constituunt; sed ratione sui, & prout in unoquoque est, ex causâ personas ipsas concernente, cum quibus & finitur. *Barbo- la ad leg. Quia tale. 14. num. 14. ff. solut. matrim.*

Reale est, quod immediatè & directè alicui rei loco, muneris, vel conditioni distinctè à persona est concessum.

Factâ & personæ, & dignitatis sive rei mentione, considerandum erit, utrum nominata prius fuerit persona, utrum res; Illo casu privilegium habetur pro personali, Hoc pro reali. *arg. l. si communis. 37. ff. de stipulat. sort. Abb. in d. mandata. num. 2.* Quod enim subjungitur est loco demonstrationis; quæ abundans non nocet. *Zaf. d. loco. num. 5.*

Sed hoc si verba privilegii sint absoluta, & ad personam, aut rem sive dignitatem sint directa simpliciter: si quid enim addatur, per quod verborum abstrahatur significatio, poterit ea mutari: veluti si Petro Episcopo & Successoribus ejus detur privilegium, illud erit reale & competet Sedi; econtrâ, si Episcopo alicujus loci, ratione ejus eminentiæ, prudentiæ aut scientiæ, detur privilegium, erit hoc, licet concedens usus sit nomine dignitatis, non reale, sed personale; propter ad- juncta. *Abb. in d. c. mandata. num. 1.*

Sic et si verba sonent quidem privilegium Reale; materia autem perpetuitati non possit accommodari, interpretanda erunt de personali & econtrâ. *Zaf. d. loc. post Abb. in c. adversus. 7. num. 17. de immum. Eccles. Azor. Inst. moral. part. 1. lib. 5. cap. 22. qu. 2. Suarez. de Legib. lib. 8. cap. 3. num. 3. cum seqq.*

Quod si dubium sit juxta verba & qualitates, utrum privilegium datum sit reale, an personale; distinguendum erit: Utrum privilegium sit

ius  
sonis  
Ecclesiæ  
IV  
Z

fit *odiosum*, puta contra jus commune vel in aliorum præjudicium odens: an verò *favorabile* continens beneficium: *Illo* casu habendum pro personali; odia enim, ut dictum, intelligenda strictè: Hoc proreli: Beneficia enim Principum ut mancant, est decens; & latissimè admittunt interpretationem. *l. pen. ff. de const. Princip. Bart. in l. p. num. 4. de servit. leg. Alexand. in l. quia tale. 14. ff. Solut. matrim. Suarez. d. cap. 3. num. 14. cum seqq. Zaf. d. loc. num. 6. in fin.*

13 Rursus *Privilegium* vel est *Perpetuum*, vel *Temporale*. *Zaf. d. loc. num. 7.*

*Perpetuum* est; quod adhæret rei de se perpetuè, vel conceditur sine limitatione temporis. Dicitur ita non quod amitti non possit, sed quod, quamdiu non revocatur, de se duret. Tale est, concessum cum Claufula *ad beneplacitum Sedis*: quia ea perpetua. *c. si Gratianus. de rescript. in 6.*

*Temporale* est; quod vel conceditur *persona*, cui tantum conceditur, ut jam dictum, & cum ea extinguitur; *c. privilegium. 7. decret. in 6. vel ad certum & definitum datur tempus*, quo lapsò finitur; *quodvis 2. C. de precib. Imper. offer. aut sub conditione*, cujus eventus cessat. Quale est concessum cum Claufula *ad beneplacitum meum*: dependeat à voluntate concedentis, quo mortuo, ut voluntas est mutata & cessat dependentia, atque ita & privilegium. Sic privilegium concessum à Prælato, *Donec decesserit*: revocatum censetur ejus morte: quod voluntas ejus se non extendat ultra. *Zaf. d. loc. num. 7. Suarez. d. lib. 8. cap. 5.*

14 *Privilegia*, cum sint, ut dictum, *privatæ leges*, tantum concedere possunt, qui *leges concedere universales*; sive ea sumamus *strictè*, per concessionem speciali contra legem universalem: potest enim auctoritas legis dispensare in ea: *l. fin. §. 1. Cod. de Legib. sive latius*, pro gratia beneficio ultra jus; nam & hoc est ejus, qui est supra jus. *l. 2. l. fin. §. 1. C. eod.*

15 Ergò in terris Ecclesiæ privilegia concedit *Summus Pontifex* non in terris Laicorum Principum, nisi indirectè, quatenus *spiritualis* usus juris spiritualis exigit: *vid. Zaf. hic, num. 8. & ad tit. de consuetud. num. 19.* Concedunt & *Episcopi* aliique *Ecclesiæ Prælati*, sed *summi*

COPY  
De Person.  
et Benefic.

G

gibus & statutis, super quibus eis libera dispensatio; proportio-  
nata.

Consuetudine tamen etiam privilegium, ut exemptionis, aut s-16  
nile; adquire posse communiter statuunt Doctores; Primò, per c. no-  
viti. 12. vers. Non enim in verbis, Nisi forte juri communi per speciale  
privilegium vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum, & ibi  
Gloss. in verb. consuetudinem. de judic. Secundo; Quia consuetudo  
potest abrogare legem in totum; fac. Clem. fin. de atat. & qualis. pres-  
crip. c. 3. eod. in 6. Ergò multò magis in parte.

Conceduntur privilegia, ut & ex divisione eorum patet, vel per-17  
sonis, vel rebus eis subditis.

Debent Justitia & honestati & publica utilitati; l. jubemus. 10. C. 18  
de SS. Eccles. non repugnare, nec concedentis dignitatem minuere;  
potestatem enervare: possunt commodum ejus diminuire. Suarez.  
d. loco cap. 8. num. 8.

Eorum, nè fiant inutilia, forma in procedendo servanda, etiam 19  
cum juris communis derogatione; licet illius non continuoant mentio-  
nem. c. In his. 3. h. tit. Est enim facienda interpretatio, ut res potius  
valeat, quam pereat, & privilegium non sit illusorium. c. inter. 6. §.  
ceterum. ubi Gloss. de fide instrum.

Si tamen jus sit qualificatum per specialem clausulam privilegii 20  
resistentem, iisque derogantem, necesse, ut in privilegii forma istius ju-  
ris, vel in specie, vel sub generali clausula ad ei derogandum sufficien-  
ter, veluti, Non obstante, fiat mentio: alias non prævalebit isti juri, &  
inutile erit privilegium. Cardin. in Clem. 1. qu. 3. de censib. Felin. in c.  
nonnulli. num. 19. & seqq. de rescript. Suarez. d. cap. 14. num. 6. &  
seqq.

Profunt Privilegia solis, sive persone, sive loco, expressis; vel ex  
vi vocis, aut actionis seu materia; vel aliqua juris dispositione com-  
prehensis. Valent enim tantum quantum sonant, & sive quoad res, sive  
quoad personas, non amplius. Cum concedantur tantum illis; ad quos  
concedentis dirigitur intentio, ex cujus pendet mente, & privilegii con-  
tento, & extensio. Suarez. d. cap. 10. num. 2. 3. 4. Videantur c. cum Ca-  
pella. 16. c. ex ore. 17. c. quoniam. 20. hic. c. 1. eod. in princ. & fin. c.

N n n n licet.

ius  
sonis  
Ecclesie  
IV  
z



licet. II. c. fin. eod. in 6. c. ut privilegia. 24. c. quidam. 33. hic.

21 Strictè itaque accipiendum & interpretandum privilegium, ut nequidem ex rationis identitate ad alia loca vel personas extendi possit: c. sane. 9. eod. Clem. un. de censur. l. quod vero. ff. de legib. Nec enim privilegii ratio omnino posita in ratione, sed concedentis voluntate. Proinde ejus tenor sequendus: d. cap. porro. 7. hic. etiam si causa pia. Nisi aliud significatio verborum suadeat. vnd. c. pen. eod. Nisi, contra jus, motu proprio concessum; c. si motu. 23. de probat. in 6. non tamen in præjudicium alterius: Suarez. d. lib. cap. 27. num. 3. & 9. Nisi sit purum beneficium; & propterea favorabile, & extendendum, quantum recta permittit ratio. c. cum olim. 22. de verb. sign. c. beneficium. de constit. Princip. Sunt enim favores ampliandi; l. modo. 64. ff. de condit. & demonstr. respectu pura Eorum quibus conceduntur.

22 Pontificio Privilegio absolute persona concessio, si à Pontifice, eo privilegiatus uti potest ubique, propter universalem Concedentis auctoritatem: Ut & olim, quando Imperatoris jurisdictionis universitas, si ab Imperatore; non hodie, propter imperium diminutum: Absque ergo privilegiatus, ut & alio Inferiore; non nisi Concedentis in territorio; quia extra illud cessat privilegium. Quatenus scilicet concedit speciale jus territorii, Neque enim potest privilegium unius derogare præcepto vel jurisdictioni alterius. Quod si tamen tale sit privilegium, quo in alieno territorio uti licet, ut si actus sit indifferens, neque communi, neque speciali jure loci prohibitus; licitum est eodem ibi uti: Ut & si actus quidem jure communi prohibitus, sed non speciali jure loci; si privilegiatus legitimè sit à suo Episcopo dispensatus. Suarez. d. lib. 8. cap. 26. num. 7. cum mult. seqq.

Privilegium si certo loco, tantum concessum, ejus usus tantum erit ibi; cum in uno loco privilegiatus, uti privilegio suo in alio nequeat: uti supra dictum per c. cum Capella. 16. hic.

23 Nullus in usu privilegii sibi concessi, nisi mereatur, c. ex parte. 27. eod. turbari, aut privilegia ipsa, violari debent. c. quando. 26. ibi.

24 Sortiuntur privilegia concessa effectum, non à tempore concessi.

CORV  
De Person  
et Benefic

G

tionis, sed notitia & acceptationis: *Bart. in l. beneficium. 3. ff. de consuet. Princ. per l. fin. Cod. de Consulib. fac. c. 1. §. ex parte. ubi Gloss. de concess. prebend. in 6. arg. c. si tibi absenti. de prebend. in 6. l. qui absente. 38. ff. de acquir. vel amit. poss. l. absenti. 10. ff. de donation. Novel. 89. §. si ad tamen.* Quia ad effectum privilegii activa concessio non est sufficiens, sed accedere debet passiva acquisitio per eum, cui conceditur: Cum in vito, aut inscio beneficium non fiat; *d. l. absenti. & l. in vita. 69. ff. de divers. reg. jur.* Nisi concedentis voluntas, fuerit alia. *Covar. 1. var. resolut. cap. 14. num. 16. Tiraquel. de privil. Pia causse. cap. 116. vid. & Covar. 3. var. resolt. cap. 16. num. 1. Menoch. 2. Arbitr. cap. 135. num. 46. & 47. Suar. d. lib. 8. cap. 25. per tot.*

Privilegiati si concurrant, & privilegia sint similia & aequalia, 25 unus contra alterum uti potest, privilegio suo; *ut in l. fin. ff. ex quib. caus. major. Covar. ad c. possessor. 2. §. 2. num. 4. de reg. jur. in 6. Suarez. d. lib. 8. cap. 23. num. 3.* Non si privilegia sint dissimilia, quorum alterum alteri resistit, ut usus contra alterum cesset: *Ex in l. verum. 11. §. in l. si apud. Minorem. 12. ff. de minor. Novel. 123. cap. 37. in fin. Covar. ad c. peccatum. part. 2. §. 2. num. 4. Suarez. d. cap. 23. num. 5.*

Privilegio suo quis renunciare potest; *c. si de terra. 6. hic. per l. 26. Cod. de pa. 7. nisi puta concernat ipsum; sin ordinem, non: ut privilegiorum fori & Canonis; De quibus titulo sequenti.*

Quae de privilegiis observandis diximus, eatenus sunt vera, quantum adhuc sint integra & salva, non si sint amissa.

Amittuntur modis variis, De quibus vid. *Panormit. in c. suggestum. d. d. c. m. Felin. in c. qua in Ecclesiarum. de constitut.*

Primo; *Morte privilegii, si sit personale: d. c. privilegium. de 27. reg. jur. in 6. l. privilegia. 196. ff. eod. Nam in omnibus causis hoc observatur, ubi persona conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficii quoque deficiat. l. in omnibus. 68. ff. eod.* Non morte concedentis; Quia Privilegia Principis sunt perpetua, & decet esse mansura: *can. 1. & 2. cap. 25. qu. 4. c. decret. de reg. jur. in 6.* Sunt enim favores & gratia, quae morte Concedentis non extinguuntur: *c. si super gratia. de offic. de leg. in 6. c. si cui nulla. 36. de prebend. in 6.*

Secundo; *Lapsu temporis, quod privilegio constitutum: c. 4. de 28.*

ius  
sonis  
Ecclesiarum

IV  
2

effic. jud. deleg. l. quoties. Cod. de precib. Imp. offer. Nam ad tempus deditur concessa eo lapsa censetur revocata. Idem dicendum in subiecta conditione ad privilegii conservationem, ut ea cessante, & cesset privilegium, quia in se continet tempus conditio. Covarr. 1. var. resolut. cap. 15. Suarez. d. lib. 8. cap. 29. num. 5. Non dicendum idem si conditio appositae ad fieri. Nam tum non pendebit conservatio conditione, sed productio tantum: productum autem privilegium erit absolutum. Veluti si Pontifex alicui loco pio à solvendis decimis concedat privilegium; Si Episcopus consentiat. Hujus consensus potest privilegium, nec ejus dissensus postea oberit. Sic ad unum actum dantur privilegia, illo peracto cessant, propter arbitrium concedentis. Suar. d. cap. 24. num. 7. & c. Zoes. b. t. num. 31.

29 Tertiò; Cessante causa non impulsiva, utpote qua non nimitur, sed finali privilegii; c. cessante 80. de accusat. derogantis juri communi, vel alterius tertii. Non si merum sit beneficium. Iyragu. tract. Cessante causa. in princ. Nec etiam si causa cesset tantum negativè. vid. Suar. d. lib. cap. 30. num. 6. & 7.

30 Quartò; Adjecto modo & conditione; veluti si concedens dixerit Ad bene placitum meum, Quamdiu voluero, Donec voluero: ipsius morte; si non revocavit. c. si gratiosè: 5. de rescript. in. 6. Non morte concedentis, sed revocatione, si dixerit, Ad bene placitum Sedulæ. c. si gratiosè. 5. Suar. d. lib. cap. 32. num. 2. Covarr. 3. var. resolut. cap. 15.

31 Quintò; Renuntiatione, id est, juris sibi concessi voluntaria abdicatione; expressa, per signum scilicet externum. fac. c. licet. de procurat. in 6. Ratio in d. c. si de terra 6. hic. & d. l. pen. C. de pact. Valde in par. hic. num. 4.

Sextò; Renuntiatione tacita; qua colligitur ex non usu; cum privilegiatus uti potuisset. Suarez. d. lib. 8. cap. 34. num. 3. 4. 5. Ut privilegium datum ad aliquid faciendum, eoque per decennium non utatur privilegiatus, datâ utendi facultate & occasione. arg. l. 1. ff. de mundin. vid. Suar. d. loc. num. 15. cum seqq.

Septimò; Contraria prescriptione triginta vel quadraginta annorum; Ut si habens immunitatem à tributis, ea solvat; à decimarum

CORV  
De Person  
er Benefic

G

exactione, exactos non renuat: *d. c. si de terra. 6. c. accedentibus. 15. hic. vid. Suarez. d. lib. cap. 34.*

*Officium; Abusu can. ubi dist. 74. can. privilegium. 11. qu. 3. c. ut 32 privilegia. 24. in princ. hic. id est, defectu in ipso privilegii usu, vel in his quae illud concernunt; idque vel per excessum utendo privilegio ultra eius limites, alio tempore, loco, in materia, persona, non concessis: d. can. ubi d. can. privilegium. vel ex causa privilegii accipit occasionem peccandi; c. contingit. 45. de sent. excomm. vel ejus fini reputatur per mores pravorum: ut inc. 3. de statu monach. c. ex parte. de Cleric. conyug. c. un. eod. in 6. c. ex parte. 27. hic. Concil. Trid. sess. 23. de reform. cap. 6.*

*Nonò; Revocatione Concedentis; sive is sit Supremam potestatem habens, ut Pontifex, Rex &c. sive Inferior. Zas. hic. num. 35. post Suarez. 8. lib. cap. 37. num. 11. & seqq. Eaque vel Expressa, quando fit in particulari verbis expressis; qua opus, cum privilegia quae revocantur, sunt in jure contenta; eo tenore concessa, ut revocari, contra eorum mentionem factam, nequeant: concessa per modum contractus: Gloss. in Auth. qua in provincia. C. ubi de crim. agi oportet. Felin. in c. nonnulli, de rescript. in 6. Gloss. in Clem. dudum. de sepult. aut in generalibus scilicet, Non obstantibus quibuscunque privilegiis: Vel Tacita, quae colligitur ex circumstantiis. Zas. d. loc. num. 40.*

*Putat; 1. Si Princeps ferat legem novam universalem: & ea abrogabitur privilegium, sed in corpore juris contentum: c. 1. de constitutionibus. in 6. 2. Si feratur sententia, contra privilegium, in judicio exhibitum, à qua non fuit appellatum: arg. c. suborta. in fin. & ibi Gloss. de sent. & re judic. 3. Si novum concedat privilegium: Speciale cum privilegium prius tollitur per speciale posterius, faciens mentionem de priori: c. ceterum. c. cum ordinem. de rescript. Similiter generale privilegium prius, sicut & mandatum, tollitur per posterius speciale, licet prioris generalis nullam faciat mentionem: c. 1. c. pastoralis. eod. speciale verò privilegium non tollitur per subsequens generale, nisi de eo fecerit mentionem: d. c. cum ordinem. Nam species semper, sive praecedat, sive sequatur, derogat generi. c. generi. 34. de reg. jur. in 6. Abb. in c. 1. eod. Valleng. d. loc. num. 4.*

Nn nn 3

Decimo;

ius  
sonis  
Ecclesiarum  
IV  
Z

35. *Decimo; Loci vel corporis*, cum competit privilegium, destruitur; si quidem ea fiat per habentem potestatem ex instituto, & aucturatur restitutionis spes omnis. *Suar. d. lib. cap. 5. num. 6.*  
 36. *Innovatio privilegii*, in forma communi; nihil novi tribuit nec facit privilegia revocata aut amissa restitui; sed tantum ea quae fuerunt, conservat. *d. c. ex parte. c. quia intentionis. 29. hic. can. longinquitate. 12. qu. 2. Abbas conf. 67. num. 1.* Quae fit ex certa scientia, tribuit. *Abb. ad c. 4. num. 4. de caus. poss. & propriet. & c. inter. 6. num. 9. & ibi Felin. de fide instrum.* Quae tamen in re inspicienda sunt, videtur *Suarez. d. lib. 8. cap. 20.*

CORV  
 De Per  
 et Benef  
 G

TITULUS XXII.  
 De Privilegiis Clericorum.

SUMMARI A.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Privilegia Clericorum circa qua versentur.       | severiter vindicetur.  |
| 2. Circa personas, quod habeantur Laicis digniores. | 8. Offensiva pana communicationis.                                     |
| 3. Peculium habeant.                                | 9. Clericorum appellationes qui hic veniant.                           |
| 4. A muneribus personabilibus sint immunes.         | 10. An Monachi eodem gaudent privilegio, qui eorum veniant nomine hic. |
| 5. Peregrinantes recipiuntur in gradu.              | 11. Quid per manuum violentam injectionem intelligitur.                |
| 6. In vinculis conjici prohibeantur.                |  |
| 7. Vis eis à Laicis illata                          |  |